

æstimant, sapientes in precio habent ut vitam : non item libidinum ac scelerum ministri : non adultores, susurrones aut quadruplatores : non amphoræ & utres tricongii, aut ventres, ut Eubulus comicus loquitur : non deniq; venatores, moriones, histriones, scurræ : sed viri boni Reipub: & Principis amantes, quos præmia instar cotis acuunt ad bene merendum de re communi : qui que locupletissimis virtutis & doctrinæ dotibus exornati Rempub: consilio & ope fulciunt. Adde, quod præmia bene meritis collata seminis in agrum fertilem projecti rationem & naturam induunt, teste Symmacho viro Consulari, & ornamentis bonorum incitatur imitatio, & virtus æmula alitur exemplo honoris alieni.

Cum hac beneficentia connexa est clementia, quam in his potissimum pono, ut in suppliciis decernendis sit lenior, sed cum iudicio : idq; ideo adjungo, ne in indulgentiam clementia vertat & abeat, pestem Rerumpub: certissimam. Inde ut in suis injuriis vindicandis sit mitior, neq; omnia ad vivum resecet : Qui enim nescit dissimulare, nescit imperare : & deniq; ut Patris genium & ingenium subditis suis probet.

Quod primum concernit, Trajani apophtegma menti infigat Princeps, crebro in ore habentis : Insanum esse eum, qui oculos habens lippientes malit effodere, quam curare. Digna sano tanto Principe vox, qui subditos nobilissimo corporis sui membro conferre, pro voluptate habuit.